



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Sacrorvm Ritvvm Et Caeremoniarvm

Vinitor, Gerlacus

Coloniae Agrippinae, 1656

XII. De Mißa quae cantatur cum vno solo Clerico.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9459

& inclinationibus solitis. Tum redit ad altare, ubi extinguit cereum qui est à parte Epistolæ, ibique postea genuflectit vt prius. Secundus vero surgit dum Celebrans se purificat, defert librum ad cornu Epistolæ & postea, si opus sit, extinguit alium cereum qui est in cornu Euangelij, ibique genuflectit vt prius.

11. Ad benedictionem ambo genuflexi, se signant, sicut ad Euangelium stantes: & si aliud Euangelium sit legendum, primus Acolythus, mutat librum, & ad cornu Epistolæ redit, ubi capit biretum Celebrantis.

13. Finita Missa Celebrans descendit in planum, ubi facta debita reuerentia, & sumpto bireto redit ad Sacristiam vt venerat, ibi Acolythis facta Cruci reuerentia adiuuant Celebrantem dum se exiit, & ministrant aquam, & manutergium, vt in initio Missæ.

TITVLVS XII.

De Missa qua cantatur cum vno solo Clerico.

1. **C**Antatur etiam aliquando Missa cum vno solo ministro in ordinibus minoribus constituto vt in Rubricis Missalis notatur. In simili autem Missa Altare nunquam thurificatur, nec datur Pax, nisi fortè cum instrumento.

2. Ad Epistolam Celebrans sibi respondet *Deo gratias.* Ad versum *Et incarnatus est.* Celebrans genuflectit super altiorem gradum Altaris.

3. Clericus superpelliceo indutus genuflexus, manet in cornu Euangelij, ibique respondet Celebranti cum opus est.

4. Circa

4. Circa finem primæ aut ultimæ orationis accipit de Credentiâ librum Epistolarum, & facta genuflexione super infimum gradum, cantat in loco consueto Epistolam vt supra, & ea cantata, facta iterum genuflexione, librum reponit super Credentiâ sine osculo manus Celebrantis, & sine benedictione. Tum defert Missale cum cussino ad cornu Euangelij, & alia peragit vt in Missa priuata Si sint duo cerei, accendit eos ante eleuationem, & extinguit post Communionem vt in Missa priuata. Regulariter genuflexus manet vt in Missis priuatis nisi ex accedente urgente cogatur, vt ad Epistolam, & ad alia.

ANNOTATIONES

§. 1. Missam conuentualem in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesijs, ac virorum Monasterijs, modis super predictis sine Diacono & Subdiacono cantare non conuenit. Idem seruandum in Parochialibus, alijsque Ecclesijs, quâdocumque vel per solemnitatem diei festi, vel ex obligatione statuti, consuetudinis, aut scripti alicuius id faciendum est.

§. 2. Tam benè in Missis quæ cum Diacono & Subdiacono, quàm in illis quæ sine sacris ministris cantantur: Epistola, Præfatio, Symbolum fidei, & Oratio Dominica quæ sunt præcipuæ eorum, quæ in Missa cantanda, partes; cantorum aut organorum consensu nunquam sub quouis pretextu aut consuetudine mutilanda ac intercipienda sunt; sed ex integro distinctè, ac intelligibiliter cantanda, sicut in Missali præscripta sunt.

§. 3. Cum Catholica Ecclesia Spiritu Sancto edocta, non sine graui ac iusta ratione singulis diebus Dominicis, singularia ac peculiaria fecerit officia: improbandus ille mos est, quem primum ex imperitia cantus, ac librorum defectu, in hisce partibus originem sumpsisse, author non obscurus indicare videtur; nempe vt diebus Dominicis, inter festum Paschæ & Pentecostes omisso proprio diei Dominicæ officio, ad Missam repetatur officium diei Resurrectionis Dominicæ: & a festo Pentecostes vsque ad aduentum Domini, neglecto similiter proprio diei Dominicæ officio.

cio, cantetur Missa, vel de Sancto Spiritu, vel de sanctissima Trinitate: indeque fiat, vt ex frequenti ac nimia repetitione diuina illa officia vilescant, tadium causent, officium & Euangelium Dominica, quod populus congregatus libentiùs audiet, intermittatur.

TITVLVS XIV.

De modo, quo, die Dominica aqua benedicta, aspersio fieri debeat.

1. CVM iuxta Rubricas Missalis singulis diebus Dominicis aquæ benedictæ aspersio fieri debeat. Sacerdos qui celebraturus est Missam solemnem debet, quantum fieri potest, esse Alba & stola coloris Missæ conuenientis in modum crucis posita paratus, & hora conueniential in vase proprio, & aquam etiam in alio vase ad id parato, in sacristia, nudo capite, & iunctis manibus benedicere, vt in Missali, vel Rituali præscribitur.

2. Facta benedictione, Celebrans post Tertiam; si dicatur, paratus Amictu, Alba, cingulo, stola, & Pluiali coloris conuenientis sine manipulo, medius inter Diaconum & Subdiaconum paratos, si cum iisdem celebranda sit Missa, sine manipulis, anteriores simbrias Pluialis eius eleuant, accedit ad Altare, præcedentibus Acolyto cum vase aquæ benedictæ & Ceroferarijs cum cereis accensis.

Cerem. Epis. lib. 2. c. 31.

3. Cum peruenerint ante Altare depositis biretis omnes genuflectunt, Celebrans quidem supra infimum gradum, medius inter Diaconum & Subdiaconum, alij suis in locis.

Cerem. Epis. loco cit.

4. Deinde Diaconus tradit Celebranti aspersorium aqua repletum cum osculo illius, in extrema sui parte & manus Celebrantis in parte exteriori. Celebrans verò accepto aspersorio in-

Cerem. Epis. loco cit.

tonat

oracionis
ularum, & fa
adum, cantat
, & ea cana
n reponit su
Celebrantis,
Missale cum
peragit vt in
ndir eos ante
mmunionem
u flexus mi
dente surge
la.
alibus, & Col
is, modis su
cantare non
ibus, alijsque
mitatem diei
tudinis, aut
acono & Sub
nistris can
lei, & Oratio
qua in Missa
cum consen
onfuetudine
e integro di
ut in Missali
ncto edocta,
diebus Do
officia: im
ex imperitia
tribus origi
are videtur;
n Pascha &
e officio, ad
tionis Domi
entum Do
nicæ offi
ci.